

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis Constantiensis

Constantiae, 1686

Praenotanda quaedam de communione infirmorum, & administratione
sacri viatici

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)

PRÆNOTANDA
QUÆDAM DE COMMUNIONE
Infirmorum, & Administratione
Sacri Viatici.

Parochus ante omnia summo studio, & diligentia procurabit, ut Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri IESU Christi agrotantibus oportuno tempore ministret, ne fortè contingat illos tanto dono, ipsius Parochi incuriâ, privatos decedere. Quare adhortetur infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non agrotet, aut mortis periculum non immineat, maximè, si Festi alicujus celebritas id suadeat: neq; ipse illam petenti ministrare recusabit. Advertet autem, sacram Eucharistiam ijs infirmis, qui ob devotionem communicant, dandam esse ante omnem cibum, & potum, sicut cateris fidelibus, quibus nec per modum medicina aliquid sumere licet; Si verò eam ministra.

strabit per modum viatici, nimirum, quando probabile est, quod ager eam amplius sumere non poterit, etiam non ieiunis detur: caveat tamen, ne ijs tribuat, à quibus ob phrenesin, vel ob assiduam tussin, aliumvè similem morbum, aliqua indecentia cum injuriâ tanti Sacramenti timcri potest.

Præterea advertet Parochus, primò: ne hoc Sacramentum ad indignos cum aliorum scandalo deferat; quales sunt publici usurarij, concubinarij, notoriè criminosi, nominatim excommunicati, aut denunciati, nisi sese priùs sacra Confessione purgaverint, & publicæ offensionis, prout de iure, satisfecerint.

Secundò, ut, quando aliquem vult providere, ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua sanctissimum Sacramentum decenter super corporale in ciborio aut pyxide deponatur. Parentur etiam luminaria, actria vascula, unum cum vino, alterum cum aquâ, & tertium cum aquâ benedictâ cum aliquo aspersorio; præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci præparentur, pro cuiusq; facultate.

Tertiò, ut ante exitum aliquod signum cum

campana in turri dari faciat iuxta laudabilem consuetudinem loci, ad convocandos Parochianos, seu Confraternitatem sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam reverenter committentur.

Quarto Sacerdos veste choralis, & stola albi coloris indutus, praecunte ministro cum lumine, campanulâ, quam iugiter pulsabit, ac libro hoc rituali reverenter in processionem comitantibus alijs Clericis (si locus feret) & fidelibus insequentibus deferat ad agrum sub umbella seu baldachino (ubi habetur, vel haberi potest) sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum nudo capite processurus, nisi rationabili de causa aliter fieri oporteat, atq; in toto itinere Orationes vel Psalmos pro sua devotione recitet.

Quinto, si animadvertat agrotum iam confessum quasi in agone existere, consuetis caeremoniis omisis eum statim communicet; si vero praemagnitudine doloris sacram Hostiam deglutire non posse videatur, hortetur eum, ut animo, & cum ardenti desiderio eam spiritualiter sumat, cum absq; irreverentia Sacramenti reipsa sumere nequeat. Id autem advertet Sacerdos, ne alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuius-

vis rei prae-textu ad ostendendum hoc Sacramen-
tum deferat.

Sextò denique, si longius aut difficilius iter
obeundum, & fortasse etiam equitandum sit, tunc
diligenter curet, ut sacra Hostia in loculo, quem
ex collo bene clausum & cum forti ligatur à gesta-
bit, ita sint composita, & inclusa, ne ex agitatio-
ne equi in frustra vel concidant, vel comminuan-
tur, aut aliqua alia irreverentia huic sanctissimo
Sacramento contingat.



ORDO